







PARTITIONVM
Theologicarum

DISPVATIO XXIIX.

De

**AUTORITA-
TE ECCLESIAE
IN GENERE.**

*In inclutâ & Florentissimâ Academiâ VVitteber-
gensî proposita*

PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente

PAULO TWARDOCO
Strelicensî Silesio.

*Ad diem 12. Octobris Horis locor,
consuetis*

Sumtibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.



VIRIS

*Magnificis, Illustri Genere, Majorumq, pro
sapiâ clarissimis Dominis,*

**DN. GEORGIO RHEDERO
DE RHEDER SACRÆ CÆSARÆ**

Majestatis Pragustatori: Libero Baroni super *uésya*
Strelicum Domino in Tostá & Weißfreschem/etc.

**D. ANDRÆ KOCHTICIO,
L. B. A LVBLINIECZ ET KOCH**

ticz in Kossenczin & Turnavva.

Mecœnatibus meis Clementissimis.

Nec non

Prudentissimis Amplissimisq, duarum inclutarum

Rerumpublicarum, que sunt

STRELICII

&

BEUTHOMII

Consulibus ac Senatoribus dignissimis

UT ET

REVERENDIS AC DOCTISSIMIS VIRIS

Dn. JOANNI GYZIO: in VVysoká.

Dn. BASILIO VVOCHIO Avunculo: Lozmiri,

Dn. NICOLAO DUBELIO: Tarnomonti,

Dn. THOMÆ KARCZOVINO: Zalesi

Dn. DANIELI MUROVIO Kossentini;

Dn. PAULO SOCHIO Glogobergenfi; &c.

VIRO item PRUDENTI AC DOCTO

Dn. DANIELI CAPRICORNO Not. pub. Strel. Vitri-
co instar Patris amando atque honorando.

Dns, Fautoribus ac Promotoribus suis summè colendis.

Exercitationem hanc Theologicam officiosè
offert & consecrat.

Paulus Tywardocus Respondens.

*Verbi dñi
vini &
Sacra-
mētōrū
Christi
ministr.*

TYPVS HVIVS DISPV TATIONIS.

Requisi- ta Eccle. siae sunt vel	} Generale: quod faci- mus auto- ritatem: que consi- deranda partim	} Ratione Eccle- siae, ubi viden- dum	1. Quanta sit au- toritas illa: & an Ecclesia errare possit &
			2. Quam habeat autoritatem & potestatem in di- iudicandis fidei controversiis.
	} Specialia.	} Ratione certarum, earumq; precipuarum partium.	



DISPUTATIO XXIIIX.

De
Autoritate Ecclesiæ in Genere.

CONTINUATIO.

Qua generalis Ecclesiæ militantis natura sit, vidimus disputatione præcedente: consequens nunc est, ut ad eius requisita progrediamur.

Theses.

1. Requisite sunt vel generale, vel specialia.
2. Generale facimus *Autoritatem*: quæ partim ratione totius Ecclesiæ consideranda; partim certarum, earumque præcipuarum partium.
3. Ratione totius Ecclesiæ quando consideratur; videntur. 1. Quanta illa sit autoritas. 2. Quam habeat autoritatem & potestatem in dijudicandis fidei controversijs.
4. Primum quod spectat, omninò statuimus, Ecclesiæ autoritatem non parvam vel exiguam, sed reverà magnam esse. Quandoquidem librorum sacræ scripturæ fidelis custos & testis est, sacros codices ad nostra usq; tempora transmittens.
5. Magna, inquam, hæc est autoritas, indeterminata tamen vel absoluta nõ est: & major adhuc sacræ scripturæ autoritas: Ab hac enim illius dependet, Simpliciter enim verbo subjecta
& al.

*Quanta
Ecclesiæ
autoritas.*

& allegata est Ecclesia, nisi enim sponsi vocem audiat, & sequatur, Sponsa & Ecclesia non est vel manet.

6. Non igitur Ecclesiae vocem simpliciter audire oportet, aut sine discrimine suscipere, quicquid docuerit: Sed id audire & suscipere tenemur, quod a Deo edocta & docere iussa, nec non verbi divini autoritate comprobare potest, nos docet.

*Quousq;
Ecclesia
audienda.*

7. Quocirca neque eousque Ecclesiae autoritas extendatur, ut scripturae Canonem consignare & ex libris non Canonicis Canonicos facere, in eius potestate sit. Quandoquidem id tantummodo praestat & efficit, ut ij libri, qui revera, & in se sunt Canonici, pro Canonicis recipiamus.

8. Adde, quod is, qui a nuda Ecclesiae autoritate pendeat, ad modum ruinoso innitatur fundamento, cum illa ab errore hac in imbecillitate immunis non sit, sed facile a veritate aberrare queat.

9. Id vero cum pernegent Pontificij, licet in praecedente quoq; disputatione aliquo modo motum sit, hic tamen exactius explicare & demonstrare operae precium erit.

*Ecclesiam
errare posse
demonstratur.*

10. Tenendum igitur initio est, illud de utraq; & universali & particulari Ecclesia verum esse.

11. Particularem Ecclesiam errare posse, extra controversiam est. Id enim ipsa rerum experientia, & historiae veritas satis superq; demonstrant. Annon Adamus & Heva erraverunt, decepti a Satanae obsecuti? Errabantne aliquamdiu Apostoli ac Discipuli Christi cogitationibus de regno Messiae mundano seducti? Quid etiam de Paulo dicemus, frustra ne is metuit, ne Corinthij degenerarent a simplicitate, quae est in Christo?

*Particulari
errare
re probatur.*

2. Cor. 11. v. 3. Petrus estne horribiliter lapsus, Dominosuo ter abnegato, etiam cum execratione sui, Matth. 26. v. 47. Quandoq; postea etiam non recto pede incessit, Gal. 2. v. 14.

*Universale
errare
ostenditur.*

12. Universaliter quoq; tam Veteris quam Novi Test. Ecclesiam errare posse facile ostenditur.

13. De tota enim Ecclesia Veteris Testamenti, id manifestum est; quippe quae quantum ad publicum ministerium erravit saepissime. Testatur Moses Patriarcharum Ecclesiam non

*An Veteris
Test. Eccle-
sia errarit,*



semel erroribus obnoxiam fuisse. De Sacerdotibus qui dubi-
tat, pertexat Historiam Iudicum ac Regum: expendat etiam
querelam, in scripturis Veteris Testamenti sæpius repetitam:
*In diebus illis Rex non erat in Israel, quisq³, quod RECTVM ERAT IN
OCVLIS SVIS, faciebat.* Quid enim hoc est aliud, quam tristis-
sima tristissimæ *ἀναξίας* in Ecclesia & Repub. Idololatriæ
quoque & licentiæ extremæ descriptio? Simile etiam huic est
illud, quod legimus 2. Paralip. 15. v. 3. *Dies multi Israeli, absq³ Deo
vero, & absq³ Sacerdote, Doctore & absq³ lege.* Quod sane de nulla a-
lia re, quam Ministerio publico quit intelligi.

14. Putesne etiam universalem errorem concupandum
esse eum, de quo varijs in locis loquitur Propheta Esaias c. 56.
v. 11. *Ipsi Pastores non norunt intelligere, VNIVERSI in viam suam
reversi sunt, quisq³ ad Avaritiam suam in termino suo.* Jeremias. c. 6. v.
13. *A parvo enim eorum, usq³ ad magnum eorum, omnes avarè sectantur
Avaritiam; & à Propheta usq³ ad Sacerdotem, OMNES faciunt menda-
cium.* Ezechiel. c. 7. v. 26. *Contritio super contritionem veniet, & audi-
tus super auditum erit: & quærent visionem à Propheta, & non erit &
lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus.* Quid multa? an non,
Christo veniente in hunc mundum Ecclesia Judæorum erra-
bat? videatur Evangelium Matt. c. 5. item 15. 23. 26. &c.

*Ecl. si in
Novi. Test.
errare pos-
se ostendi-
tur.*

15. Constat igitur, Ecclesiam Veteris Testamenti errare po-
tuisse, imò etiam erravisse, & quidem gravissimè: Sequitur
nunc, ut videamus Ecclesiam Novi Testamenti. Nunc de illa
potissimum negant Pontificij, quod errare possit; cum ei assi-
stat semper Spiritus S. & Christus veritas ipsa promittat, se
nunquam nos relicturum orphanos. *Esaiæ 59. Ioh. 16.*

16. Verùm ita quando disputant Adversarij, suam igno-
rantiam produnt, ac propalam ostendunt, se verum scripturæ
intellectum, de quo alias multum gloriantur, & sibi solis ad-
scribunt, non habere, ideòque à Spiritu S. non regi; sed ab eo
relictos esse. Quandoquidem promissiones illæ Ecclesiæ factæ
non sunt absolutæ, sed conditionatæ; ideòque pertinent ad
Ecclesiam, quatenus audit vocem sponsi sui, manetque in veri-
tate

rare sermonis Christi, ac rectè singulis applicantur credenti-
bus; Cùm Ecclesia nihil sit aliud, quàm credentium multitu-
do sive cœtus. Ut igitur singuli credentes sive fideles Spiritui
S. donati, quando verbum Christi deferunt, errant; ita quoq;
tota Ecclesia errat, nisi in Christi sermone constanter perma-
neat.

17. Quid? negare non possunt Pontificij, gravissima pec-
cata inveniri: Cur igitur errores in illa inveniri posse negant?
An non ex fonte planè eodem utraq; promanant? an non tam
his, quàm illis Spiritus S. averfatur?

18. Accedit & hoc, quòd in Ecclesia non semper sit pura fi-
des, & pura Sacramenta. Unde ita arguimus: Ubicunq; non
semper pura fides, & pura Sacramenta, ibi dantur errores con-
tra fidem & contra Sacramenta. At in Ecclesia non semper est
pura fides, neque semper sunt pura Sacramenta. Ergò in Eccle-
sia esse possunt & sunt quoque errores contra fidem & contra
Sacramenta.

19. Majorem negabit, qui ratione caret: Minor probatur
ex Paulo, qui disertè scribit ad suos Corinthios: *Oporteret inter vos
esse hereses* 1. Cor. 11. v. 19. & ad Gal. c. 3. v. 1. *Amentes Galatae*, inquit,
quis vos fascinavit, ne crederetis veritati. Addatur 2. & 3. caput A-
pocalypseos.

20. Concludimus igitur, Ecclesiam, quâ credit doctrinæ
verbi divini, immunem esse à lapsu: at quâ imperfectè credit,
humanæq; doctrinæ vento circumagitur, errare.

21. Inquis: forsan non opus esse, tam operosa demonstrati-
one indefinitæ hujus propositionis: *Ecclesiam Novi Testamenti er-
rare posse*: cùm indefinitè concedere videantur Pontificij; dum
non urgent de particularibus, utpote de Ecclesijs Orientali-
bus.

22. Verùm argumenta, jam adducta, universaliter intelli-
genda esse, manifestum est illis, qui ea rectè perpendunt.

Sed

23. Sed ut propius ad rem accedamus, quæritur, quid ad-
versarij per *universalem sive Catholicam Ecclesiam* intellectum ve-
lint, aut totum illum cœtum, omnium & singulorum homi-
num, Christi nomen hisce in terris, profitentium; vel cœtum
duntaxat renatorum, Sanctorum & Electorum.

24. Si hunc intelligant per Ecclesiam Catholicam, facile
largimur, nunquam futurum, ut nullus in orbe reliquus sit
cœtus fidelium: Quandoquidem usque ad consumationem se-
culi vivi colliguntur lapides, ad spiritualis templi ædificatio-
nem, quamvis non semper ex eodem acervo tollantur, hoc est,
ex omnibus quidem locis ac gentibus, sed non semper ex ijs-
dem, vocabuntur homines ad Christum, qui Deum Patrem
in Filio, per Spiritum Sanctum rectè invocabunt.

25. Ergò hoc modo sumta Catholica Ecclesia, nunquam
tota, hoc est, omnia & singula Ecclesiæ membra in fundamen-
to errabunt.

26. Verùm non opus est Pontificijs hic multa concedere,
cùm hoc modo dictam Ecclesiam Catholicam non intelligant:
nihil enim, si ita sumant vocem (Catholicum) respondere pos-
sunt ad quæstionem de publico Evangelij Ministerio, an illud
errare queat.

*Ministeri-
um publi-
cum potest
errare.*

27. Ministerium verò publicum, hoc est, gubernatores Ec-
clesiæ errare posse, & errasse quoq; nec non interdum multi-
tudinem magnâ ex parte illorum errore secutos esse testantur
tempora Eliæ. Tum enim in regno Israëlítico obscurissima fu-
it Ecclesiæ facies, Baaliticâ passim grassante Idololatriâ. Item
sub Christi in carnem adventum, extinctâ doctrinæ luce, Ec-
clesia in magnis versata est tenebris, donec repurgata per Chri-
stum & Apostolos doctrina illa reffloruit. Idem exemplis Aaro-
nis, qui aureum vitulum conflat *Exod. 32. v. 2.* Pontificis Uria,
qui Idololatriæ impiæ Regis Achazi, adstipulatur *2. Sam. 16. v.
11.* & Sacerdotum, totiusq; Levitici ordinis, qui tempore Re-
gum Juda volumen Biblicum amiserunt: *2. Regum. 22. v. 8.* evi-
dentissimè patet.

Quid?

28. Quid? Donatistarum error est, ex impuro ministerio totam Ecclesiam arguere iniquitatis. Nam licet tempore Eliæ ministerium purum in toto populo Israëlítico appareret nullum; sed altaria essent destructa, Prophetæque Domini gladio occisi adeò, ut solus ex fidelium numero superesse videretur Elias *1. Regum. 19. v. 10. Nihilominus Dominus disertè testabatur v. 18. reliqua sibi esse septem millia: omnia genua, quæ non curvaverunt sese ipsi Baal: & omne os, quod non osculatum est eum.*

29. Quia igitur per Ecclesiam Catholicam in hac Disputatione Pontificij intelligere nequeunt cœtum Electorum: intelligunt universaliter cœtum omnium hominum, qui nomen Christi hisce in terris profitentur.

30. Verùm neque sic negabunt, Ecclesiam errare posse. Quandoquidem concedere & fateri cogantur, multos in Ecclesia ministros & auditores errasse, adeòque plurimos; cum infidelium semper soleat esse major, quàm fidelium copia.

31. Annon in prisca Hebræarum Ecclesia decem ille tribus perpetuo Idolomania Oestro percitæ furebant? Annon reliquæ duæ, licet dilucida quandoque hujus erroris intervalla, sub pijs quibusdam Regibus, naçtæ; majore tamen mox impetu, in Idolomaniam ruebant?

32. Quis jam negabit, idem Christianæ Ecclesiæ accidere posse, adeòque reapse accidisse? Estne Ecclesia re & substantia una, sive ea Judaica sive Christiana veste amictâ? Suntne partes Ecclesiæ similes? At istæ ipsidem planè incommodis obnoxia sunt, ac periculis.

33. Rectè igitur concludimus: uti olim tam Hierosolymis, quàm Samariæ Ecclesia fuit corrupta: ita nulla hodie datur Ecclesia, cui similes errores & corruptelæ non sint pertimescendæ: cum negari non possit, illa propter nos esse scripta, illamq; nostræ Ecclesiæ typum fuisse, *1. Cor. 10.*

34. Quid multis? Si ne vera quidem Olea stetit inconcussa; sed licet præclaris promissionibus fulta *1. Reg. 8. v. 25. Psal. 87. 39. & 131. Jerem. 33. 18. & c.* Convulsis nihilominus fidei radicibus, corrui; quanto magis ejusmodi casus oleastro contingere poterit?

B

Annon



35. Annon Christus Apostolis ipsis modo *ὁλιγοῖσιν*, modo *ἀμείβων* exprobrat? Quis etiam negabit vel excusabit Thomæ incredulitatem Joh. 20. v. 25. & Petri simulationem, Gal. 2. v. 12. Et quam tetros errores in præcipuis Patribus, Origene, Hieronymo, Tertulliano, Clemente, Cypriano, Ambrosio, Damasceno & alijs deprehendimus?

Exceptio
Pontificiorum.
Respo. sio.

36. De Apostolis excipiunt Pontificij, illos tunc nondum fuisse Episcopos, nisi designatos, & partes Ecclesiæ materiales, quæ errare possint.

37. Frustra ita excipiunt adversarij; Ordinariè enim prædicaverant jam pridem, & baptizaverant: unde illos Episcopos fuisse arguimus. Quid? quòd ipsi Judæ proditori Episcopatus nullam aliam quàm ob datam causam tribuitur Act. 1. v. 20. Et quid audio? Non sunt partes materiales Ecclesiæ Episcopi? Quomodo igitur in ipsis fuerit ratio totius Ecclesiæ, cuius partes essentielles materiam & formam esse, nemo negabit?

38. Observandum autem est, quòd post illa primordia, longè alia fuerit ratio Apostolorum, quàm cæterorum Pastorum & Episcoporum. Illi enim tanquam publici tabularij à Spiritu S. non à propriâ vel humanâ aliquâ voluntate acti, fæderis tabulas, nec non authenticum spiritualis connubij instrumentum conficiebant Ecclesiæ: Quocirca singulari quodam privilegio & prærogativa aberrandi periculo erant immunes.

Apostoli
quomodo
eleventur
supra Ec-
clesiam.

39. Atque hoc modo quando considerantur Apostoli sive scriptores *θεόπνευστοι*, non dubitamus, illos supra Ecclesiam militantem & omnia ejus membra, sive sint Pastores, sive Auditores, collocare, nimirum ut ipsam scripturam, quam per illos, tanquam suos calamos, exaravit Spiritus Sanctus.

40. Sunt enim immediatè à Spiritu Sancto illuminati & gubernati in prædicandis & consignanda divina veritate, ut constat: Cætera verò homines pij mediante verbo reguntur.

Obiectio.

41. Nihil ergo est, quod hic excipiunt Pontificij, nullam posse vel debere institui collationem inter Synagogam Judæorum

orum & Ecclesiam Christi propter divinarum promissionum
dissimilitudinem.

42. Nihil est, inquam, falsum est, & ex scripturis ostendi
non potest, *promissiones Ecclesie Novi Testamenti factas esse absolutas,*
& promissiones presentie divinae ceteri Ecclesie datas, ad so-
lam Christianam restringendam esse.

43. Illae enim requirunt hanc conditionem, ut credamus
Evangelio, & servemus mandata Christi: Haec enim conditio
ubi non observatur, excidit Ecclesia ex gratia, *Apoal. 2. v. 5. in-*
currit in indignationem Dei v. 16. imò planè interit, nisi resi-
piscat v. 5. & 16.

44. De his si verum est, quod dicunt Pontificij: tum etiam
minae, violatae legi adjectae, ad Judaeos non pertinebunt. Quid?
quod Apostolus Paulus disertè affirmat, Israelitarum esse ado-
ptionem & gloriam & fœdera & legis constitutionem & PRO-
MISSIONEM, *Rom. 9. v. 4.* Imò ipse etiam Christus ad di-
spersas Israelis oves colligendas præcipuè fuit missus *Matth. 15.*
v. 24. Atque hac de ipsa causa Abrahamus Pater credentium fu-
it dictus, nec non illi, qui ejus fidem imitantur, ejusdem cen-
sentur filij: hincque Petrus testis est, primum ad Judaeos, de-
inde ad exteros promissionem pertinere *Actor. 2. v. 39.*

45. Nullius etiam ponderis est, quod contra id, quod de
Patribus dicebamus, objiciunt, illos non errare in ijs, quæ ab
ipsis unanimi consensu sunt tradita. Quandoquidem consen-
sus non est indubius veritatis canon. An non magno olim con-
sensu creditum fuit, Christum fore Regem mundanum, neq;
passurum? Crassissimus tamen iste fuit error.

46. Notandum, quid de hac re dicat Chrysostomus: *Quid*
mihicum multitudine? malo unum preciosum lapidem, quam multos o-
bolos. Item Gerson: *Plus credendum est vel simplici Laico, scripturam*
producenti quam toti concilio sine scriptura aliquid affirmanti. Et Hie-
ronymus: *Non sanctorum filij sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui*
exercent opera eorum &c.

Responsio.

Obiectio.

Responsio.

B 2

Cæterum



47. Cæterum in hunc modum argumentamur: Quicumq;
suâ naturâ est mendax, is in doctrina Christiana errare potest:
At omnis Homo, sive sit Papa Romanus sive Cardinalis &c.
Suâ naturâ est mendax: Ergo omnis Homo & ipse Papa Roma-
nus cum omnibus suis satellitibus potest errare in doctrinâ
Christianâ.

48. In minore & consequenter in conclusione includimus
quoque divinitus illustratos & gubernatos: dicimusq; sanctos
etiam in Ecclesia errare posse. Ratio est in promptu: quia renô-
vatio in hac vita non est perfecta; sed manet lucta carnis ad-
versus Spiritum. Hinc Ezech. 18. v. 24. clarissimè affirmat, *iustum
averti posse à sua iustitia ad iniquitatem.* Et Salomon *Prov. 24. v. 16.*
inquit: *Septies cadit iustus, & resurgit.* Videatur etiam Apostolus
Paulus Rom. 7. ubi de lucta carnis adversus Spiritum prolixè
agit.

49. In quam porrò Ecclesiam Apostolicæ comminationis
fulmen vibratur, quam in illam ipsam, quæ hodiè sola Catho-
licæ & Apostolicæ nomenclaturâ tumet, nulliusq; erroris, aut
hæreseos scopulum timet. Rom. 11. 21. 22.

50. Casum hunc longe luctuosissimum non sine causa præ-
dixit Spiritus Sanctus. 1. Ne cristas erigant Episcopi illi Phari-
saicæ potius, quàm Apostolicæ successionis supercilio feroci-
entes. 2. Ne fideles faciem hanc Ecclesiæ tristissimam intuen-
tes despondeant animos *Act. 20. 2. Cor. 11. Gal. 3. Col. 2. Thess. 2. 1. Tim.*
4. Apocal. 12.

51. Porrò si Ecclesia errare non potest, causa erit vel in ipsis
membris Ecclesiæ, vel in absolutâ Spiritus S. gratiâ. At falsum
utrumq;.

Obiectio. 52. Ast contra hoc excipiunt Pontificij, prætendentes illu-
strationem divinam prohibere errorem.

Responsio. 53. In promptu est responsio; Illustratur quidem & guber-
natur Ecclesia à Spiritu Sancto; verum non absolutè, sed per
verbum mediatè: quod quidem in Ecclesia perpetuus est Ca-
non ac norma doctrinæ certissima, nullam erroris labem in se
sulciens: At hanc *anglicæ* non plane capit, quæ in terrestri
cœno

cæno reptat Ecclesia; imò verbum illud abjicere potest. Quo-
verò abjecto & spreto, cessat illuminatio, & redeunt errorum
tenebræ. Id quando negant Pontificij, priucipium cum fine,
sationem cum Messe, infantem cum viro, prælium cum trium-
pho, cænum cum cælo pessimè confundunt.

54. Quod in specie Romanam Ecclesiam spectat, nullam
illa præ alijs Ecclesijs habet prærogativam. Sic enim Paulus i-
pse ad Roman. cap. II. v. 19, ait: *Dices igitur defracti sunt Rami, ut e-*
go insererem: Bene dicis: per incredulitatem defracti sunt tu verò fide con-
sististi: ne esseraris animo, sed timeas. Nam si Deus naturalibus ramis
non pepercit, vide, ne qua fiat, ut nec tibi parcat. & c. Quoniam & tu ex-
scinderis, & c. Atque hæc ipsa Paulus ad Rom scribit. Unde ma-
nifestum est, illam quoque errare posse, & à Gratia Dei, non mi-
nus excidere, quàm excidit Ecclesia Israëlita.

Romana
Ecclesia
præ alijs
nullam ha-
bet præro-
gativam.

55. Quæ hæcenus disputata & proposita sunt, ut recte intel-
ligantur, duplex observandum est discrimen: i. Supra positum,
Ecclesias esse vel particulares, vel universalem; Illasque esse
sub hac contentas, certorum locorum finibus circumscriptas,
ut est, Philippensis, Romana: Hanc verò illis, conjunctim sum-
tis constare illasque omnes quotquot eadem profitentur fidem,
ambitu suo complecti.

56. Deinde distinguendum esse, inter corruptionem & to-
talem abolitionem Ecclesiæ.

57. Statuimus igitur particulares Ecclesias corrumpi posse,
nec solum corrumpi, sed etiam aboleri penitus; quomodo et
iam multas corruptas ac abolitas esse, testis est experientia. Quia
verò non omnes simul aboleri possunt, etiam si omnes cor-
rumpi queant, idcirco neque universalis Ecclesia visibilis abo-
leri potest, corrumpi tamen potest.

Quomodo
particula-
res Eccle-
sias pos-
sint errare.
Quomodo
universa-

58. Huc pertinet illud Ambrosij: *Sicut Luna nunc plus, nunc*
minus fulget: ita quoque Ecclesia ortus obitusque suos habet: aliasque in statu
est perfecto, alias in statu corrupto.

59. In statu quidem perfecto est, quando sinceram habet
verbi divini prædicationem & legitimam Sacramentorum ad-

administrationem quorum contra altero vel utroque corrupto, status Ecclesiae visibilis, quo ad ministerium publicum, corruptus est.

60. Isthaec enim, nempe verbum purum, & legitimus Sacramentorum usus (ut supra disputatione praecedente vidimus) sunt vera & characteristica *πρωτομαρτυρια* Ecclesiae, quibus incorrupta à corrupta, vera à falsa *ἀναμφοσβήτως* dignosci potest.

61. Ex haecenus explicatis facile intelligitur, quid statuum sit de problemate, hodiè inter nos & Pontificios multis modis agitato, quo quaeritur: *An Ecclesia & praecipua eius membra sint Iudices controversiarum, negotium fidei Christianae spectantium.*

An Ecclesia & praecipua eius membra sint iudices controversiarum de fide moriarum.

62. Responsio est facilis si scripturam sequamur: sunt & non sunt,

63. *Sunt*; quatenus judicant juxta unicum & immotum canonem verbi divini scriptis Prophetarum & Apostolorum comprehensi. Si enim in novissimo die ipse Filius Dei Judex vivorum & mortuorum omnia juxta sermonem ac doctrinam, in sacris literis comprehensam, judicabit *Ioh. 12. v. 48. Rom. 2. v. 16.* Quanto magis nos scripturam pro vera voce judicis Christi in omnibus controversijs juxta mandatum Christi *Matt. 17. v. 5. Hunc audite, & Deut. 18. v. 15.*, agnoscere debemus.

64. *Non sunt*: quatenus proprium suum sensum, arbitrium, & opinionem vel etiam rancidas illas & obsoletas traditiones *ἀρχαϊκας* sequuntur. Quandoquidem in Dei verba juravimus simpliciter: in Ecclesiae verba adigimur *κατὰ τὴν*: nempe pro ut à Deo potestatem accepit per ipsius verbum ac intra metas, à verbo illo positas, religiosè sese continet.

65. Inquis: Hac ratione non Ecclesia, sed verbum erit iudex, controversiarum in negotio fidei?

66. Omnino: Hoc enim est, quod volumus, verbum enim, vel Spiritus Sanctus per verbum, unicus controversiarum iudex est agnoscendus; non Spiritus hominis. Quicumque enim Spiritus est probandus & *ἀπαραιτίως* recipiendus; is non potest esse supremus iudex fidei Christianae: At omnis Spiritus hu- manus



manus est probandus &c. Ergo nullius hominis, sed solius Dei Spiritus, quem Homo, ut Homo, probare nescit, iudex esse potest. *Ioh. 4. v. 1.*

67. Deinde scriptura se habet instar instrumenti authenticum, imò est instrumentum authenticum fidei ac religionis Christiana: Ecclesia duntaxat Praeconis & interpretis partibus fungitur. Ut igitur major est autoritas instrumenti authenticum, quam Praeconis, qui id recitat: & quemadmodum illi tantum creditur, quatenus verè loquitur ea, quae in instrumento continentur, vel ea rectè secundum normam instrumenti exponit; ita etiam I. Major est autoritas Scripturae, quam Ecclesiae; II. Eo usque Ecclesiae creditur, quousque proponit & rectè interpretatur ea, quae in scripturis sacris continentur. Ut ita veritas & autoritas Ecclesiae sit à verbo Dei: non contra hujus ab illa.

68. Praecipuum Pontificij ponunt praesidium in loco *Matt. 18. v. 17.* Ubi Christus jubet audire Ecclesiam.

69. Verum praesidium istud admodum infirmum est; non enim eo loci agit Christus de Theologicarum controversiarum disceptationibus componendis: sed de sapiendis offensionibus inter fratres exortis, ideoque de negotijs humanis quibus quidem dijudicandis idonei sunt etiam *1. Cor. 6. v. 4.* verum ad ista quis idoneus? *2. Cor. 2. v. 16.*

70. Si autem vel maximè concederemus, mandatum istud Christi etiam ad obortas de fidei articulis controversias extendi posse: non tamen sub intelligenda foret absoluta quaedam dijudicandi, decernendi & statuendi de dogmatibus Ecclesiae, potestas. Quandoquidem, ut patet, obstricta illa est unico iudici vivorum & mortuorum, cuius vocem audit, *Ioh. 10. vers. 16.* *Matth. 17. v. 5.* *Deut. 18. v. 15.* ac iuxta unicum verbi divini Canonem omnia iudicat, ut dicitur *Esa. 8. v. 20.* *Ad legem & testimonium si non dixerint secundum verbum hoc, non erit illis lux matutina.*

71. Verum nondum quiescunt Pontificij: in loco enim *Rom. 10. v. 17.* *Fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei, non ad muta scripturae oracula nos rejici contendunt.*

*Praecipuum
Pontificio-
rum in hac
disputati-
one p. as-
siduum.*

*Alias locus
à Pontificijs
allegatus.*

Verum.

72. Verum contra dicunt: Judicem hic non esse Ecclesiam, sed illum ipsum, cui Pater omne dedit Judicium *Ioh. 5. v. 22. 27.* Est quidem hujus præco quicumque ad prædicandum mittitur: quicumque verò ex ejus auditu fidem reportat, non præconis duntaxat vocem auribus plane carnalibus; sed præcipue Domini ac supremi illius judicis vocem intus sonantem, spiritua- libus haurit auribus.

73. Debebant proinde hic recordari Pontificij, in prædica- to verbo duo esse; verbum ipsum & actus prædicandi: non aliter atque in scripto verbo est, verbum ipsum & modus, hoc est actus scribendi sive ipsa scriptio.

Vis conver- 74. Jam quæritur unde sit vis illa convertendi homines, & in illo-
tendi ho- lorum animis accendendi fidem? num ex modo illo per actum
mines un- humanum verbo addito, hoc est, ex actu illo vel prædicandi vel
de sit. scribendi: Minimè gentium. Humanus enim actus, quatenus humanus, nullo modo potest habere effectum divinum. Ex ipso igitur verbo, & ejus efficacia per Spiritum Sanctum, hujusmodi effectus oritur. Ut ita verbum Dei per se arguatur efficax atq; potens organum ad convertendos homines, sive prædicatum audiatur, sive scriptum legatur, sive etiam certis numeris inclusum ac dispositum canatur, dummodo intelligatur atque cogitetur. Ist hæc enim: prædicare, legere, canere, non sunt de Essentia verbi, sed solummodo ejus accidentia.

75. Pertinet huc, quod Apostolus Paulus monet *1. Cor. 3. v. 6. 7.* *Ego plantavi, Apollos rigavit; sed Deus dedit incrementum. Itaque neq; is qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat; sed Deus, qui dat incrementum.*

76. Adde & hoc, quod prædicatio, uti & auditio, itemque scriptio sint res transeuntes: Verbum contra est res permanens & durans in æternum.

77. Potest etiam distingui inter verbum prædicatum & hominem prædicantem: Fides ex prædicato verbo est: non ex prædicante homine: Quocirca non ab hoc, sed ab illo pendet.

Quæ

78. Quæ Pontificij hic obijciunt de obscuritate, ambiguitate ac imperfectione scripturæ alibi resolvimus. Hoc loco id saltem adversarijs considerandum relinquimus, quod vitia, quæ in caliginoso & distorto imperitorum & ἀσπίντων αἰσθη-
τηρίω hærenti 2. Pet. 3. v. 16. non sine blasphemiam Sacræ Scripturæ, adscribantur.

79. Falsissimum quoque est, judicem illum, quem adversarij nobis obtrudunt, semper præsentissimè obvium & expositum esse, atque idè quæ in controversijs ambigua & obscura occurrunt protinus explicare, litesque quasi de plano, planè ac plenè definire posse.

80. Aut enim iudex ille erit Ecclesia Romana, sive in ea summus Pontifex: aut particularis alia Ecclesia, aut synodus. Non ista: quandoquidem non cuivis de articulo vel doctrinâ quadam dubitanti semper contingit hunc adire Corinthum. Non illa: periclitabitur enim Ecclesia Romana, Non hæc: quia Non semper habetur ejusmodi conventus. Quia, 2. Non statim certa aut rata est sententia, quæ vel in Oecumenico synodo fertur, nisi accedat Pontificis Romani confirmatio. Quia, 3. Synodi quoque inter se non semper conveniunt: ut Constantensis & Basiliensis Episcopum Romanum Synodo subesse statuunt ac jubent: Tridentina verò suo tridente utriusque prioris decreta confodit, & Papani Romanum supra omnia concilia effert: quod is divina humanaque jura in scrinio pectoris sui conclusa circumferat, atque inde veluti ex tripode eructet. 4. Quia si ratio ista vera, frustra concilia coguntur. Sed omissis omnibus alijs controversiarum iudicijs, ipsum potius Pontificem rectè adire consultius erit. Illam autem verissimam iudicant Pontificij. Nam audiatur Bellarminus, qui illis instar omnium est, & lib. 4. de Rom. Pontif. c. 2. in hæc definit verba. *Ipsa est fallibilitas (in iudicio nimirum doctrinæ & fidei) non est in cætu consulariorum; vel in concilio Episcoporum sed in solo Pontifice.* Et Stapletonus in Relect. princip. fidei doctrinæ Controv. 3. quest. 6. p. 400. circa definitionem fidei & dubij dogmatis determinationem. *Tanta semper fuit Romani Pontificis auctoritas, ut unum quodque dogma Ro-*

Pontificiorum iudex non semper esse potest præsens.

manus Pontifex prius defixerit, & unamquamque heresim prius ea de re habita, vel per literas suas ad concilium missas, antequam in concilium Patres convenissent: utque eius doctrinam & determinationem reliqui Episcopi & Concilij Patres semper ad amissim secuti fuerint. Atque conclusionem hanc Stapletonus vocat notabilem.

81. Quam integer etiam & ἀναμειβητος iudex sit Romanus Pontifex, docent exempla. Quandoquidem nullum dari vel excogitari scelus potest, quod non in aliquem Pontificem Romanum cadat. Si unquam fuerint contemptores Dei & verbi eius, certe fuerunt Alexander VI. Sylvester II. Paulus III. Sic incantatores & praestigiatos pessimi fuerunt Joannes XIX. XX. XXI. Sergius IV. Benedictus VIII. Sylvester III. Gregorius VII. Clemens II. Damasus II. Leo IX. Victor II. Sacrilegij rei acti sunt Bonifacius VII. Clemens VII. Gregorius IX. Benedictus IX. Parricidij exemplum desideras? En tibi Paulum III. Alexandrum VI. Innocentium IV. Gregorium VII. Seditiosi factiosi Patriaeque & ipsius Imperatoris proditores fuerunt Alexander III. Gregorius II. Gregorius VII. Paschalis II. Gregorius IX. Clemens VII. Alexander VI. Scortatorum & Adulterorum exempla tibi exhibent Sergius III. Johannes II. XI. XII. XIII. XIV. Christophorus I. Julius II. III. Leo X. Sixtus IV. Alexander VI. Clemens VII. Paulus III. & cum primis Johannes VIII.

82. Ut autem illorum vita, ita etiam doctrina fuit. Marcellinus idolis thura adoluit: Liberius Arianismo subscripsit: Vigilus Eutichianismo. Anastasius Nestorianismo: Honorius fuit Monotheleta; Zepherinus Montanista Gregorius III. Polygamiam nonnullis concessit: Siritius conjugium esse pollutionem dixit. Nicolaus I. Baptismum in unius tantum personae nomine datum esse concessit & approbavit. Johan. XIV. Campanarum Baptismum contra verbum & institutionem Christi instituit. Sylvester II. & Gregorius VII. cum Diabolo pactus est. Johan. XXIII Resurrectionem mortuorum & vitam aeternam negavit. Gregorius VII. invadit Pontificatum contra canones: Caesari rebus divinis intento machinatus est necem: panem

panem Eucharistiæ ad impias divinationes eliciendas in ignem
conjecit: quia magus, Christianæ religionis irrisor & contem-
tor fuit: Veteres hæreses approbavit: Antecessorem suum A-
lexandrum occidit.

83. Quid? quod sapius Papa Papæ contradixit, & succes-
sor successoris placita refixit. Inter Formosum, Stephanum,
Sextum, Romanum I. Theodorum II. Joannem IX. & Sergi-
um III. nunquam convenire potuit Cælestinus III. statuit, hæ-
resi ita dirimi conjugium, ut parti innocenti liceat alias inire
nuptias. Innocentius III. contrarium definiuit. Nicolaus I V.
Docuit abdicationem omnium rerum in speciali & communi
propter Deum, meritoriam esse & sanctam, quam & Christus
viam perfectionis ostendens, verbo docuit & exemplo confir-
mavit: *c. Exijt. de verborum significatione in sexto.* Sed Johannes
XXII. *c. Dum inter, extra de verborum significatione:* declarat, Hæreti-
cum esse dicere, Christum talem paupertatem verbo & exem-
plo docuisse. Eugenium IV. Concilium Basiliense propter hæ-
resin deposuit.

84. Imo ipsimet Pontificij scriptores negare non possunt,
Papam Romanum in controversijs fidei & morum dijudican-
dis errare posse. Bellarminus, inquit; Papam Hæreticum ma-
nifestum, per se deficere esse Papam. lib. 2. de Papa cap. 30. op.
Ergo concedit Papam Hæreticum fieri, atque adeò errare in
fide posse. Cajetanus de autoritate Papæ c. 20. & 21. docet. *Papam
Hæreticum ab Ecclesia verè deponi:* Verum antequam deponatur, o-
portet judicetur: Ergo Papa non tantum judicat, sed etiam ju-
dicari potest ab Ecclesia. Alphonsus de Castro lib. 1. c. 6. contra Hæ-
reses; affirmat Pontificem, ut Pontificem esse posse Hæreticum & docere
hæresin, & de facto aliquando accidisse. Ipsum jus Papale distin. 41. c.
S. Papa: Papa, inquit, est à nemine iudicandus, nisi deprehendatur à
sæc. devius. Glossa. Bonifacius Martyr, consultus, an Papa à aliquo iu-
dicari possit? Respondit, quod non, nisi Hæreticus deprehendatur. & si oc-
cul'a esset Hæresis, d. illa possit accusari. Et Adrianus VI. Papa in
quaestione de confirmatione: item Gerson & Alma in in libris
de potestate Papæ, concedunt, Pontificem Hæreticum fieri posse.

Unde

Unde Apodicticè inferitur: Quicumque fieri potest Hæreticus,
ille potest in controversijs fidei & morum dijudicandis errare;
At Papa Romanus fieri potest Hæreticus, ut demonstratum;
Ergò Romanus Pontifex potest errare.

85. Conclufum igitur esto: Non Ecclesiam vel universa-
lem, vel particularem; non Concilia; non Papam Romanum;
sed solum unicum Spiritum S. per verbum in scriptis, Prophe-
tarum & Apostolorum compræhensum esse supremum judi-
cem controversiarum fidei.

86. Tandem errores hic damnandi sunt. 1. Catharorum,
Donatistarum, Anabaptistarum & similiarum, perfectam Eccle-
siae puritatem in terrena hac sece quærentium: 2. Pontificio-
rum, qui soli Romane Ecclesiae, imò soli Pontifici hanc non-
errandi prærogativam vendicant. 3. Negant Ecclesiam errare
posse etiam si ea, quæ sacris literis non continentur, doceat. 4.
Dictitant Spiritus Sancti regimen in Ecclesia non voluntari-
um, sed naturale ac necessarium esse: 5. Duplicem supra hanc
Scripturam Pontifici Romano tribuunt prærogativam. 1. Quod
cum Scriptura nihil possit sine Ecclesia, hic multa possit
sine Scriptura 2. Quod Romana Ecclesia potior
sit Scriptura, sicut Architectus
instrumento.

F I N I S.

99 A 6935

ULB Halle

005 360 463

3



TA 900







PARTITIONVM
Theologicarum
DISPUTATIO XXIIX.
De
AUTORITATE
ECCLESIAE
IN GENERE.
à & Florentissimâ Academiâ Witteber-
gensî proposita
PRÆSIDE
ACOBO MARTINI
Professore publico:
Respondente
PAULO TWARDOCO
Strelicensi Silesio.
Ad diem 12. Octobris Horis locorū
consuetis
sumtibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.

